

1741. Konarski S. Oratio...

<http://cm.org.pl> XVIII. 2. 546

ORATIO.

R. P. Stanislai KONARSKI a S. Laurentio Vice-Praepositi Provincialis et Capituli Praesidis, habita Anno 1741. in Capitulo Provinciali Lovicii celebrato.

Primum summumque eorum qui in Domino congregantur munus et officium David Rex sanctus expressit (psal. 105.) *Salvos fac nos Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur honori sancto tuo, et gloriemur in laude tua*. Quare et nos hoc loci Divina congregati providentia, par est a laude et gloria Nominis sancti Dei et vocis ipsius et rerum nostrarum ducamus principium. Ideoque cum eodem religiosissimo Principe, mox dicto versui 47 subjunctum versum 48 piissima inprimis religione congreganti nos decantemus Deo: *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum*, qui nos salvos incolumesque in hunc locum conduxit, ea paterna potentique manu, qua ille cum universum hunc mundum pulcherrimo regit ordine, tum in orbe terrarum regna omnia et magna imperia sapienter gubernat, neque parvis, qualis nostra est, Rebuspublicis ope sua coelesti divinisque auspiciis deest.

Persolutis autem non tam ampla verborum pompa, quam pura mente, maximis, quas animus capere possit, Deo altissimo gratis et laudibus; omitteuda mihi non sunt etiam debita fraternae charitatis ac humanitatis officia, quibus et totum hunc virtute sapientiaeque omnium vestrum illustrem coetum et A. R. P. Cyprianum Exprovincialem, communem carissimumque nostri omnium Parentem, de nobis omnibus, de Provincia deque universo Ordine nostro optime meritum, et singulos ex Vobis, Conscripti religiosissimi Patres, saluto et veneror hoc ex loco, in quo me, ut Vobis notum est, non ulla merita, non aetas, non delectus, sed solum sive casus, sive fatum (quod christiane intelligi volo) collocavit, post P. Josephi a Jesu MARIA, optimi doctissimique Viri, ac prudentissimi rerum nostrarum quinquennio Moderatoris praematurum et luctuosum toti Provinciae nostrae obitum; cujus Viri insignis iactura quanti aestimanda sit, satis patuit ex incredibili ob eum amissum bonorum omnium totiusque Provinciae dolore ac moerore.

Dignum ergo huic digno Patri Successorem electuri, huc ex more convenimus. Sed miramini fortasse Patres, quare ego huc nos convenisse dixerim, dumtaxat eligendi Magiltratus Provincialis causa, cum et aliae potis-



— o —
sima omnino sint causae, ob quas huc omnes confluerimus. Consulendum enim est hoc loco et tempore rebus nostris; investigandae hic a nobis rationes sunt, quibus Ordinem nostrum in Polonia pietate ac literis, omnique doctrinae genere reddamus florētissimum, et Ecclesiae Patriaeque utilem. Praescribenda sunt multa, quae bonis in virtute confirmandis, malis coercendis apta sint. Examinanda est omnis rei domesticae administratio ac oeconomia, rebusque aliis id genus pro bono commodoque Provinciae nostrae providendum est. Tamen ego omissis his omnibus causis, unam hanc conventus hic nostri de industria dico, quod sola eligendi illius qui nos regat causa, congregati hic simus. Nam cum boni Magistratus eligantur, tum optime caeteris omnibus consulitur rebus. Haec est omnino summa rerum, haec est omnis fortuna Reipublicae, hic est fons felicitatis bonique omnis, quam maxime idoneos ad regimen eligere, rebusque gerendis praeficere. Si idoneus ad regendum est, quem eligimus, florebit quam maxime sub eius fascibus Ordo: pietate, morum disciplina, bonis artibus et scientiis, Religioni Christianae Patriaeque erit utilissimus; boni fovebuntur et in omni virtute ac laude proficient; tremant mali et a flagitiis arcebuntur; modus optimae in domesticis rebus oeconomiae exactissime ubique observabitur.

Excogitate, statuite, condite pulcherrimas, sapientissimas sanctissimasque leges, aequae Lycurgos, Solones, Charondas, Pompilios, Romanos Decemviros, in describendis vitae ac societatis humanae regulis: quae in Moyse, quae in Evangelio, quae in praecipuis primisque omnium Ordinum Religiosorum Auctoribus et Inventoribus, quae in Vener. Fundatoris nostri sanctis, quae in optimis Legislatoribus unquam legistis, in unum cogarite opus; frustra haec omnia; nisi ii qui nos regunt ea praestent virtute ac sapientia, ut nos vivere e praescripto Legum faciant, atque ea quae sapienter constituta sunt, et illi exequantur, et ut nos exequamur, omni ratione invigilent. Considerate quaeso Patres, in Imperiis, Regnis, magnis parvisque Rebuspublicis, et in cunctis hominum societatibus, majorum prudentia optimas constitutas esse leges, eas vel in tabulis exaratas, vel in libris descriptas, seris transmitti saeculis, eas in perpetuis durare monumentis. Nihilominus omnes sive magnas, sive parvas hominum societates, quamvis durantibus iisdem legibus, tamen continuis vicissitudinibus et mutationibus obnoxias esse: nimirum luce meridiana clarius est, et perpetua experientia firmum, sub bonis legum custodibus et gubernatoribus observari leges, felicesque Respublicas secundis rerum florere successibus: sub malis Principibus Rectoribusque leges vim nullam habere, debiles omnino mutasque esse, scelera et vitia tunc virtute validiora es-

— o —

se, ideoque Respublicas paulo ante fortes florentesque concidere. Nonne eadem leges in regno Israel legebantur sub David et Salomone, bonis Regibus, quae mox sub Roboamo imprudente, impio crudelique Principe sub illis nihil fuit felicius illustriusve, sub hoc nihil infelicius aut magis inglorium electo illi Populo. Uno anno Dictatore et Duce optimo Papyrio, Romae res secundae fluunt, pax et concordia domi viget, foris triumphatur: altero mox anno, Posthumio et Veturio ignavis imprudentibusque Consulibus, et illi ipsi seminudi et universus Romanus exercitus, a Samnitibus sub jugum seu furcas Caudinas mittuntur: tertio anno Publio et Papyrio praestantissimis Consulibus, Romanae res iterum reflorescunt; iidem Samnites victi sub jugum a Romanis mittuntur. Roma eadem, vires eadem, leges eadem, homines iidem, hostes iidem, bella eadem, tempus fere idem, sed Duces Rectoresque populi non iidem fuere. Ut vero talia, si velimus exempla inducere, idem esset acsi omnes universarum gentium historias describere ac commemorare vellemus. Namque in omnibus maximis et minimis civitatibus idem semper usu venit, ut qui universam humanarum rerum, qua ingentes, qua exiguos spectat populos, historiam paucis verbis complecti cuperet, nescio an quid brevius simulque verius posset dicere, quam ubique gentium bonis Moderatoribus fausta, malis semper improspere evenisse, et eorum qui praesunt sidus, semper in Rempublicam influxisse.

Ideoque unus qui nos regit, potest nos felices reddere; unus perdere. Quo in opere majores inter minoresque rerum Praesides aliud discrimen non est, quam quod aut pluribus aut paucioribus vel prosint, vel obsint, prout latius aut angustius potestas eorum patet. Quam ob rem id, quod in vastissimis Rebuspublicis, idem prorsus in singulis Domibus nostris accidere evidenter liquet. Idem locus, iidem sint regendi homines, Rectore bono fausta et secunda sunt omnia: observantia legum, artium et scientiarum vigent studia, charitas et tranquillitas regnat, peccantes et devii aut severitate, aut mansuetudine emendari curantur, Dei gloria, salus populi propagatur, Instituti augetur honor, commode omnia ad victum vestitumque sufficiunt, externorum hominum amor, existimatio et beneficentia conciliatur. Jam Rectore malo, eodem loco, iisdem qui subsunt hominibus, inauspicata et infausa omnia: ordo rerum nullus, regulae legesque contemptui, otiosa vita, nulla in docentibus diligentia, nullus in discentibus profectus, dissidia, partium studia rixaeque inter Fratres, peccandi audacia, impunitate crescunt; res divinae summo neglectu tractantur, fama et nomen Instituti vilescit, non virtute, sed culpa, rerum laboratur penuria, domesticae res et oeconomicae patentem ru-

unt, hominum qui nos vident, animi a nobis alienantur, donec Praesidem alium eundem ipsum in locum Divina Providentia destinavit, qui res omnes sub eo qui praecessit collapsas, pristino splendori restituat. Haec semper ita contingere, quis dubitet, quae nos ipsi nostris toties spectavimus oculis? Haec ostendenda tantum sunt, probari confirmarique non egent. Haec omnia clare demonstrant, cunctas res in quavis societate humana, praecipue ab ingenio indoleque nos regentium pendere.

Et ut plurimae sint in iis, qui nos regunt virtutes, quibus illi nos felices, aut plurima vitia, quibus illi nos infelices reddere possunt, haec ego, ne nihil de re tam necessaria innuisse videar, ad sex duntaxat capita revocare non dubito: Rectores nostri dum sint probitate vitae, doctrina, prudentia, vigilantia, animi magnitudine et charitate praediti, habere mihi videntur omnia, quae in iis divinitus desiderare bono nostro possimus. Magistratus contra nostri, primi ultimique si essent, quod Deus avertat, pravis moribus, imprudentes, negligentes, pusillanimes, et rerum omnium, quae ad Jussitum pertinent ignari nulliusque charitatis, ii tales essent, quos Deus iratus, hominibus sua providentia indignis castigandisque immittere, aut saltem permittere solet.

Si ergo qui praesunt, vitae imprimis probitate, religione morumque innocentia necessario aliis praelucere debent. Melius enim longeque efficacius bono exemplo subjectos sibi homines ad virtutem boni Superiores ducent, quam mille praecepta et regulae. Sin vero depravatis sint ipsi moribus, mirum non est, si triennio aut Provinciam aut Domum pessimis suis depravent exemplis potius, ut id omnia miracula rerumque portenta superet, si eos quibus mali praesunt, malos aut etiam pejores non faciant. Nam ut Cassiodorus ait, facilis est errare natura, quam ut dissimilem sui Princeps possit formare Rempubicam.

Doctrina pulcherrimum ornamentum in iis qui praesunt, est. Si bona fama ac existimatio non ad vanam auram undequaque captandam, sed ad venerationem fidemque conciliandam Religiosis Ordinibus necessaria est, certe nihil ita ad hanc bene ordinatis Coetibus famam comparandam solet facere, quam eorum qui praesunt doctrina et eruditio. Nam cum magis luci expositi Rectores nostri sint, plus unus eorum doctus et eruditus, viros inter Principes caeterosque homines existimationis bonaque opinionis nobis afferet, quam alii etiam fortasse doctiores, quorum doctrina et ingenium suis tantum cognita sunt. Praeterea doctus qui regit alios, certe illos etiam doctos eruditosque, id est similes sui facere profecto curabit. Sed ut verum fatear, et

— 0 —

indoctus Superior potest esse sibi, non iis quos regit, injurius; potest enim eos qui suae curae commissi sunt (ut indocti parentes cum liberis suis facere solent), ad omnium artium studia excitare, iisque diligentissime invigilare: nam ut dixi, regentium nos decus maximum est scientia, sed non omnino conditio. Sint vel minus docti, sed sint plane prudentes.

Ante omnes humanas virtutes, primas omnino partes, praesertim in regentibus, Prudentia sibi vindicat; quae virtus veteri illo optime est definita proverbio: ne quid nimis. Hac duce bene omnia domi forisque vel difficillima conficientur negotia; hac magistra nec clementia in parcendo, nec severitas in animadvertendo, unquam erit nimia; hac iudice, cui rei locove aptior quis sit, facile dignoscetur; hac docente et dirigente qui praest, dum hominibus non spiritibus se praeesse meminerit, hummano modo reget homines, nec quidquam supra debiles humanas vires a fragili natura exiget. Haec arbitrio suo et poenas et praemia aequaliter opportuneque dispertiet; hujus consilio Republicae utilia, salutaria, certa, tuta, noxiis, dubiis, speciosis sine errore praeferebantur; adeo ut nihil humano generi optabilius sit in iis qui regunt, quam prudentia, juxta illud sapientissimum D. Thomae Aquinatis responsum, qui cupiam viro insigni interroganti, quae virtus in regentibus maxime desideranda esset, respondit: Si sanctus est, oret pro nobis; si doctus est, doceat nos; si prudens est, regat nos. Cujus pars aliqua virtutis si cui alios gubernanti desit, nihil calamitosius, nihil gravius iis contingere potest, qui imprudenti subesse coguntur imperio. Nam praeter privatam personarum calamitatem, quae mala, quae detrimenta, quae infortunia Republicae imprudentes Gubernatores afferunt, nullis equidem verbis satis id explicari potest.

At quamvis tantopere vitae sanctimoniam, doctrinam et prudentiam in iis qui praesunt, desiderandam esse dixerim, tamen vel his maximis virtutibus vigilantiam iisdem non minus necessariam esse, asserere ausim. Continuum, indefessam, et perpetuo sollicitam illam esse oportet: salus, quies et commoda omnium quam diligenti providaque semper egent cura? Institutio juvenum quibus non Argi oculis indiget? Irrepentes abusus quam facile, ut scintillae, in magnum excrescunt incendium, si, qui custos est, segnis et remissus dormitet. Res maximae saepe momento temporis constant, et occasiones non frustra pennatae a poetis finguntur, quas irreparabili damno, non intenti ad suam munus, fastidientis et segnis Superioris saepius omittit ignavia.

Nulli vero hominum, quam iis qui regunt alios, magno fortique ani-

— o —

no magis opus est. Magno certe aggredi debent animo, quidquid boni Reipublicae praestare intendunt. Nihil enim difficilius est, quam benefacere velle multitudini, quae utilitatis suae ignara, maximo solet esse obstaculo. Deinde magna vis est hostium, magna fortunae, magna improvisorum casuum, contra haec summa oportet muniri constantia. Jam malorum audacia, quos coercere pro officio velis, tum linguarum malignitas tanta persaepe sunt, ut incredibili mentis fortitudine opus sit, ne latum unguem ab iusto et aequo dimoveare. Ideoque pusilli animi homines ne obedire quidem bene possunt, nedum hunc sibi aliisque imperare.

Sed ut verum fatear, supra haec omnia charitas in Superiore eminere debet. Boni Patris erga liberos, non domini in servos officio ille fungitur; et bonos suaviter ad perfectionem virtutis, malos autem efficacius ad emendationem morum charitate ducit. Bonos si non amet Superior, monstrum est; malos si oderit, contra Evangelium peccat, nec pater dici meretur. Id saepius boni Rectores cogitare debent, quod parentes, qui optant quidem, ut liberos habeant quam optimos, talibus tamen quales natura dederit, contenti esse solent. Videant necesse est, omnes subjecti sua commoda, suam valetudinem, suum in bono profectum, suam salutem, Superiori cordi esse; videant se ab illo amari ut filios, tum et severiorem patris disciplinam, dum semper paterna sit, non abhorrebunt, manumque paternam vel in castigando agnoscent. Secus qui non charitate, sed solo imperio regit, tyrannus non Moderator est. Verba cruda et aspera, vultus semper minax, vexationes continuas, indigna christianis hominibus, nedum religiosis magistratibus vindictae cupido; nulla reprehendendi puniendique ommissa, aut etiam quaesita occasio; difficilis accessus, imperiosa agendi ratio, in delinquentes immoderatio animi, commodorum in victu, vestitu aliisque rebus neglectus, aut sordida parcitas; haec sunt et similia quae charitatem in iis qui regunt, nullam inesse demonstrant, quae miseram, gravem, aerumnosam, infelicem vitam religiosis hominibus tali dominationi subjectis reddunt, quae obrectationum, dissidiorum ac tumultuum domi, mali exempli ac pessimae famae foris, causas praebent.

Jam itaque, Patres Conscripti, ut in regentibus vitae improbitas, imprudentia, negligentia, pusillanimitas, atque nulla erga suos charitas, infortunatissimos miserimosque omnes hominum coetus reddunt, ita contra, si supremum Moderatorem caeterosque Magistratus moribus probis, doctrina excellentes, prudentia insignes, vigilantia indefessos, magnitudine animi infraesos, paternam charitate praeditos, divinitus nos habere semper contingat, pro-

— 0 —

fecto felicem beatamque fore nostram Rempublicam non dubitemus. Boni illi probique, qui praesunt sint, nos boni probique erimus; docti sint, nos doctrinam colimus; prudentes sint, nos prudentia eorum omnes scopios evitabimus; vigiles, diligentes laboriosique sint, nos assiduitatem, diligentiam et labores eorum imitabimur; magnanimi fortesque sint, nostros illi animos ad ardua et difficilia quaevis superanda excitabunt et erigent; charitate pleni sint, charitas et pax inter nos omnes vigeat; omni virtute sint praediti, et nos in omni virtute proficere facient. Mali autem si illi sint, qui praesunt, quod Deus avertat! et de nostra Republica idem fiet, quod de illa Israelitarum, sub malo Principe Jeroboamo (IV. Reg: 7.) scriptum legimus: *Separavit Jeroboam Israël a Domino, et peccare fecit eos peccatum magnum, et ambulaverunt filii Israël in universis peccatis Jeroboam, et non recesserunt ab eis.* Brevius id quod nos prolixius hucusque diximus, sapientissimus de Legibus Scriptor, exprimit Cicero: Si velis replicare memoriam temporum, qualescunque summi Civitatis viri fuerunt, talem et civitatem fuisse.

Quamobrem secure jam id, quod principis dixi, assero, convenisse nos P. C. in locum hunc, non tam legum condendarum ergo, quarum jam multitudine laboramus, quam boni Provinciae Moderatoris bonorumque Rectorum eligendorum causa, qui sunt, ut mox a me citatus Scriptor de Legibus inquit, *Magistratus lex vivens et loquens.* Eligamus tales, in quibus probitas vitae, doctrina, prudentia, vigilantia, magnitudo animi charitasque singularis elucet, tum finem nostrum feliciter assequemur, tum optime Reipublicae consulamus.

Ut autem eligamus tales, duae imprimis res sunt, quas nos qui eligendi gaudemus jure, in summo, ut ita dicam, virtutis gradu habere oportet. Unum est, ut nimirum non amicitia, non naturae amorisque ductu, non ob spem propriae utilitatis, grati animi, alicujus officii aut muneris obtinendi, non sola amicorum, qui hunc vel illum eligendum suadent, aut dissuadent gratia, non privati boni commodive ergo, non ob humanas quasvis rationes, Moderatorem Provinciae caeterosque Magistratus eligamus. Abjectis igitur omnibus humanis causis, eos eligere conemur, qui secundum Deum apti nobis aliisque aptiores omnino videbuntur; ad quod nos et ipsa ratio, et honestas, et Provinciae ac Ordinis Patriaeque amor, et lex Divina, et sacrosancta juramenti religio a nobis praestandi obligat. Qui ergo praescriptum in jurejurando finem, rectumque in eligendo tenebit modum, ille declinabit partium studia, vitabit praebere dissensionum causas; perti-

— 0 —
nacia opinionem suam non tuebitur, pluribus se conformabit unus, non plures in suam sententiam coet, bonorum persuasionibus acquiescet, sicque non infructuose, sed utiliter, ad bonum commune apte dabit suffragium. Tales si omnes Electores simus, facile et concordia in hoc sacro coetu nostro regnabit, et fortunatam nostram reddemus Rempubicam.

Alterum quod eligentibus sancte servandum incumbit, est primum maximumque officium, ut Deum summum, cujus sapientia conditi sumus et providentia gubernamur, per quem Reges regnant, et Legum conditores iusta decernunt, sine quo nihil boni statuere ac ne cogitare quidem possumus, fervidis supplicationibus exoremus, ut ille assidricem sedium suarum sapientiam, hujus Aulae nostrae praesidem ad dirigenda nostra consilia nobis coelitus mittere dignetur, qua duce ac magistra sortes nostrae cadant in justos timentesque Deum Magistratus. Hoc ut coelesti auxilio nixi, consequi possimus, ardentissimis Divinae majestati votis, et hoc loci et ad tremenda altaria humiliter supplicemus.

XVIII. 2-546

<http://rcin.org.pl>



3318

F

XVIII.2.546